

ſce fructus dicta Constitutione ſucceſſoribus feudalibus addi-
xit, una cum fructibus pratorum: quos ipſos jure communi Sa-
xonico cum uvis heredibus tribuendos eſſe, videtur, quoniam
ſi qua cura pratis accedit ante diem Urbani jam utique facta
eſt. Vid. *Struv. d. l. deciſ. 90. Carpz. d. l. d. 24. qui def. 26.* de fru-
ctibus piſcinariis eſt ſollicitus. Quod ad fructus civiles, cenſus,
annuos redditus, decimas &c. attinet, ita jus eſt, ut, ſi dies ce-
ſit vivo vaſallo, vel ſaltem intra triceſimum ab ejus morte,
heredibus allodialibus relinquendi ſint, *d. art. 58. L. II. art. 76.*
L. III. Conſt. Elect. 32. P. III. qui poſtea ad feudales ſolos ſucceſſo-
res pertinet. *Carpzov. P. III. Conſt. 16. def. 6.* Vid. tamen *Coler. Dec.*
CCLXXXVI. n. 129. ubi monet, in Thuringia Ducali id, cujus
dies intra triceſimum ceſit, feudalibus ſucceſſoribus relin-
qui. *Carpz. d. l. D. 21.* Conſtit. Sax. ad eum caſum extendit, ſi
paulo poſt triceſimum dies ceſit: quæ ſententia licet æquior
ſit, vix tamen rigorem examinis ſuſtinebit, cum, ubi lex
terminos ponit, judici illos egredi haud liceat. Conf. *Diff. no-*
ſtra de die triceſimo §. 40. Cæterum quando horum, vel iſto-
rum cenſuum, vel decimarum dies cedat, ſi aliter non con-
ventum, ex *d. art. 58. lib. II.* patet. Quod vero ad iſtos fructus
civiles attinet, qui in penſionibus locatorum prædiorum feu-
daliſſimum conſiſtunt, & pro fructibus ſolvuntur, qui ſemel tan-
tum per annum percipi ſolent, de illis ſic habendum eſt, eos
eatenus ad hos, vel iſtos ſucceſſores pertinere, quatenus fru-
ctus ipſos, pro quibus ſolvuntur, ad eos pertinere dixi. *Carpz.*
P. III. C. 16. D. 7. Denique obſervandum meliorationes feudi
ad allodiales heredes pertinere, cum jure allodialium cen-
ſeantur. *II. F. 28. §. 2. Schraderus P. X. Sect. 18. n. 127.* de quibus
infra agendum erit pluribus. Commendari hic meretur uti-
liſſimus libellus *B. Struvii*, quo Centuria deciſionum conti-
netur: *Quanam res feudales, quanam allodiales ſint?* ubi va-
ria huc pertinentia reperiuntur.

*Melioratio-
nes ad allo-
diales per-
tinent.*